

bit oppositio, quæ *in d. l. 6.* proponitur. Quantum denique at-  
tinet ad dationem judicis, pluribus dubitare non est opus, ut-  
pote quæ adscribatur jurisdictioni, & quidem principaliter.  
Pergemus jam ad reliqua.

### THEORICORVM PRÆCEPTORVM

*propositio decima octava.*

Reprobamus hîc quoque vulgatam Bartoli & Dd. *in d. l. 3.*  
divisionem mixti imperii, qua illud in sex gradus fecant, & a-  
liud maximum, aliud majus, aliud magnum: aliud parvum,  
aliud minus, aliud minimum appellant, vide Bolerum *de ju-  
risdict. cap. 4. num. 21. & seqq.*

Vulgata & vexata est Doctorum quæstio, utrum mandari  
mixtum imperium possit necne? Affirmativa placet in his,  
quæ jure magistratus competunt, non etiam in his, quæ com-  
petunt specialiter Senatusconsulto, vel Principis constitutio-  
ni *l. 1. §. 1. l. ult. §. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisd.*

### PRACTICORVM OPINIO.

De hac re ex parte superiùs traditum est, ubi de mero im-  
perio agitur. Sed & hinc apparet in Theoricis ad palatum  
suum nihil sapere, nisi quod ipsi coxerint. Nam tolerari illa  
Doctorum divisio docendi causa poterit. Quantum verò ad  
imperium mixtum, mandari posse videtur, si competit juri  
suo. Nam si juri alieno (quod de mandato intelligimus) man-  
dari haud posse videtur, quò minus dicendum sit, esse man-  
datum mandati, quod ex eo aliter se habere patet, quia in  
mandatis procuratorum, hoc ipso fine oportet expressam ef-  
se clausulam substituendi alium procuratorem. Hæc enim si  
non continebitur in mandato procuratorio, substitutio non  
poterit defendi. Sed & hæc omnia de mandato mixti impe-  
rii,